Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA,

DE

HERNIÆ INTESTINALIS LEGITIMA CURA,

Quam

RECTORE HUJUS UNIVERSITATIS MAGNIFICENTISSIMO,

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO DOMINO,

DOMINO

PHILIPPO VVILHELMO,

S.R.I. COMITE de BOINEBURG,

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS CONSILIARIO INTIMO & CAMERARIO, nec non METROPOLITANARUM ECCLESIARUM, MOGUNTINÆ ET TREVIRENSIS CANONICO CAPITULARI SENIORE, & respective SUPREMO CHORI-EPISCOPO, EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGUNTINI CONSILIARIO INTIMO, AC CIVITATIS TERRITORIIQVE ERFFURTENSIS PRO-PRINCIPE &c. &c.

IN PERVETUSTA ELECTORALI HIERANA,

AUCTORITATE & CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,

SUB PRÆSIDIO

DN. JOANNIS PHILIPPI EYSELII,

MED. DOCT. ANATOMIÆ, CHIRURGIÆ ET BOTANIC. PROF. PUBL. ORDINARII, FACULT. MED. ASSESSORIS ORD. P. L. C. p. t. DECANI,

DN. PROMOTORIS & HOSPITIS sui ætatem devenerandi,

PRO LICENTIA

DOCTORALES IN ARTE MEDICA HONORES ET PRIVILEGIA

More Majorum legitimè consequendi,

Publico Eruditorum Examini subjicit

BALTHASAR Hübschmann/*Dörffelio-Misnicus,*

Medicinæ Baccalaureus.

Ad diem 30. Decembr. Anno MDCCXI.

IN AUDITORIO MAJORI. HORIS CONSVETIS.

ERFORDIÆ, Typis JOH. HENR. GROSCHII, Acad. Typogr.

VIRO
MAGNIFICO, AMPLISSIMO,
EXCELLENTISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO
DOMINO
AUGUSTOQVIRI NO RIVINO,
PATHOL. AC BOTAN. PROF. PUBL. UNDIQVAQVE CEL BERRIMO, FACULTATIS MEDICÆ LIPSIENSIS SENIO GRAVISSIMO, MAJ. P.P. COLLEGII COLLEGIATO ET ACADEMIÆ DECEM-VIRO LONGE MERITISSIMO,

DOMINO, PATRONO AC PRÆCEPTORI
ſuo ad cineres usque devenerando

HANC DISSERTATIONEM INAUGURALEM
in devinctisſimi animi teſtimonium off

obſtrictisſimus ſervus

AUTO



B. G. D.

PRÆFATIO.



Erum est, *inquit* Celsus Lib. I. pag. mihi 8. ad ipsam curandi rationem nihil plus conferre quam Experientiam. *Liceat mihi huic sententiæ cum pace eorum subscribere, qui illam nostris temporibus flocci pendent, rationem Experientiæ præferendo subtilioribus delectantur speculationibus, & dogmaticos inter Medicos eminere contendunt. Quot enim quæso ad manus habemus Autorum volumina, in quibus morborum tam internorum quam externorum Definitiones, Causæ, Signa & Methodi medendi prolixe traduntur, quorum pauciores tamen ipsis videre contigit; nihilominus celebritatem Nominis sibi conciliant; & quô magis ingenii aciem in scriptis suis ostendunt, tantô magis æstimantur, licet in applicatione nullum experimentum rationi respondeat. Ad hæc igitur tanquam ad sacram anchoram confugiunt Medicinam facientes, ibique solatium quærunt, quando difficilior casus cautius postulat consilium,*

sed suo & ægricum damno experiuntur, quam fallax sit ejusmodi remedium nunquam forte tentatum. Interim negandum non est, prostare quoque libros, non nisi fidelissimas observationes cum rationibus satis probabilibus & convenientibus continentes; dolendum autem, eos non asterisco quodam notatos esse, ut verum à falso discernere queant Practici juniores. Et quandoquidem hanc ob causam innumera sphalmata in praxi commissa totô observantur die, ubi vel in cognitione morbi vel applicatione remedii peccatur, experientia aut aliena consulenda aut quoque propria expectanda est, antequam certi aliquid determinari possit. Hac enim innixi securè aliis suademus, quid fieri debeat modo in casu desperato & periculoso, modo in affectu diuturno & pertinaci, modo in ancipiti & dubio. Præ cæteris morbi sic dicti Chronici Practicos exercere solent, quando adhibitis ex consilio variorum Autorum omnis generis specificis & appropriatis remediis, denique nil nisi aliquot levamen ægris conciliant, & palliative saltim occurrunt; quale quid in phthisi, calculo, chlorosi, si internos spectes morbos; si externos, omnium maxime in Herniis contingit. Lubet jam missis affectibus reliquis Hernias Intestinales, *utpote quæ meâ in patria quasi endemiæ sunt, tantum sub Examinis incudem revocare & loco Speciminis Inauguralis præmissa earum pathologia* Curam *ostendere* Legitimam; *Adsis igitur Optime Deus clementissimâ Tuâ gratiâ hisce meis laboribus, &, quæ in posterum suscipere debeo, conaminibus practicis, quo cuncta in Sanctissimi Nominis gloriam, ægrorum commodum meamque Salutem ex voto vergant! Lectorem autem Benevolum maximopere rogamus, velit se æquum in censen-*

do

do exhibere, ſiquidem omnia non omnibus placere poterunt; interim certo perſuaſus ſit, nos experientiam ſemper ſpeculationibus puris prætuliſſe.

§. I.

INtegros non modo Tractatus & Diſſertationes prolixas, ſed quoque omnes fere Practicorum libros Herniarum tradere curam, me haud fugit, ſed quam difficilis ea ſit, non dicam horrenda, & medici & ægri experiuntur, quando non niſi per Sectionem & conjunctam Caſtrationem aut Uſtionem penitus curari poteſt Hernia. Equidem innumeros novimus hujus conſilii miſeros teſtes, qui ejusmodi methodum medendi abhorrentes, per dies vitæ hernioſi manent, & ad levandam exinde obortam moleſtiam ligamentis ſat tædioſis uti coguntur. Et quamvis non ſemper in Medico ſit, ut æger reveletur, nihilominus ejus culpa periclitatur hic, quando ille non agit, quod agere debebat. Ideò hæc ſaltim attendenda erunt hoc in paſſu, quæ experientia teſte plurimis cum ſucceſſu exhibuimus, eosque ſic priſtinæ reſtituimus ſanitati.

§. II.

Herniæ vocabulum alii origine latinum, alii græcum pronunciant. Deducunt autem nonnulli ab hæreo, quod fortiter adhæreat ægris. Hæcque derivatio minus exhaurire ejus ſenſum videtur. Quidam cum *Celſo* exiſtimant, herniam ob pellis duritiem ita dici, quæ ſecundum Sabinorum lingvam Saxum ſignificat, neqne hæc origo ſatis conveniens eſt. Græciæ potius ortum debet, in eaque vox Ἔρνος, latine

 germen

germen, ramus non ignota fuit, ab illa derivamus herniam, quæ ob prominentiam & prolapſum inteſtinorum aut omenti, germina arborum fere referentem non incongrue ſic vocatur. Neque enim ſemper durities adeſt, neque omnis hernia diu durat; hæc tamen ſimilitudo à Græcis deſumta magis genuinum exprimit ſenſum.

§. III.

Ideoque herniæ nomen quibusdam Affectibus noſtri corporis propriè, aliis improprie tribuitur. Sic appellant vulgo glandularum circa collum & aſperam arteriam tumores p. n. herniam gutturalem, Græcis βρογχοκήλη audit. Huc pertinet hernia aquoſa, ſive ſcroti hydrops, item flatulenta, carnoſa & varicoſa, quas Græci ὑδροκήλην, πνευματοκήλην, σαρκοκήλην, κιρσοκήλην nominant. Tres vero ſpecies proprie ſic dictæ herniæ apud Autores deprehendimus, nempe omentalem ſeu ἐπιπλοκήλην; inteſtinalem ſeu ἐντεροκήλην, & mixtam ſeu ἐντεροεπιπλοκήλην.

§. IV.

Variæ quoque denominationes in Medicorum ſcholis uſitatæ ſunt, præter vocabulum Herniæ. Idem enim denotat apud Latinos Ramex, Ruptura, Crepatura vid. Brunonis Lex. Med. Græcis κήλη dicitur: Germani vocant: Einen Bruch.

§. V.

Herniæ quidem varie ab Autoribus definiuntur dum alii omnes etiam per errorem ſic dictos tumores earumque cauſas ſimul indicant. Alii remotas cauſas neglectis proximis tantum nominant, minus tamen appropriatæ hæ definitiones videntur, cum

ve

vel in excessu vel in defectu peccatum sit; Lubet ergo ad mentem *Magnifici Rivini, Patroni & Praeceptoris mei debita Observantia nunquam satis prosequendi* aliquam suppeditare, quae magis arridet: Hernia Intestinalis (de illa enim in sequentibus dicturi sumus) est Morbus externus ab intestinorum prolapsu extra abdomen peritonaeo vel dilatato vel rupto dependens.

§. VI.

Distinctio autem inter herniam perfectam & imperfectam; (siquidem per illam intestini & omenti descensus ad scrotum, per hanc Ramex inguinalis intelligitur) non attendi meretur, uti ex Definitione liquet, prolapsum quemcunque intestini, (omento non excepto) extra abdomen herniam dicimus. Differunt interim manifeste inter se pro varietate loci, quem occupare solent. Nunc enim ejusmodi tumor circa umbilicum observatur, qui sub nomine *umbilicalis herniae* venit; Graeci appellitant ὀμφαλοκήλην, Germani, einen Nabel-Bruch: Nunc ad ingvina descendunt intestina, ibique *herniam ingvinalem* Graecis βουβονοκήλην Germanis einen Schooß-Bruch constituunt. Tandem etiam ad Scrotum delabuntur, unde *hernia scrotalis*, Graece ὀσχεοκήλη in lingva mea vernacula ein Gemächt-Bruch dicta nomen accepit.

§. VII.

Subjectum, quod tali morbo obnoxium deprehendimus modo ratione aetatis, modo ratione sexus considerandum erit. Ad sexum quod attinet, & masculinus & foemininus hernia laborat; iisque contradicuut Autorum observationes, qui cum Veteri-

bus

bus fœminas ab herniis immunes esse statuunt; non dicam ex Anatomicis constare, in eo loco, ubi ligamenta uteri rotunda exeunt, peritonæum satis dilatari posse; testem habeo *Regn. de Graaff, qui in oper. suis pag. 272. & 273.* de filia hernia laborante, & post mortem dissectâ, refert, se in dicta regione peritonæum adeo relaxatum invenisse, ut integram foveam seu bursam, efformarit, per quam intestina in inguen descendendo produxissent. Porrò adultis pariter ac infantibus frequens est hic affectus: frequentiores tamen primis pueritiæ annis, item in extrema senectute notantur. Quo nimirum teneriores sunt partes, eo facilius distenduntur, imò rumpuntur; & quô plures numerantur anni, eo major adest virium defectio, ut fibræ paralyticæ vix sustinere valeant impetum irruentis & prementis ponderis, accedente præprimis quadam violentiâ.

§. VIII.

Quemadmodum unius rei plures esse possunt causæ; ita & hoc in passu alias habemus proximas, alias remotas; hæ vero proximis occasionem præbent. Sufficit interdum hic sola dispositio hæreditaria, quando Parentes aut herniosos generant infantes, quod tamen raro contingit; aut præter alias causas v.g. flatulentiam tanquam maxime frequentem saltim peritonæi lateris læsi laxitatem & infirmitatem communicant cum sobole, ut leviori data occasione eundem patiantur prolapsum. *Quælibet in animali pa[rs]* inquit *Galenus Lib. XIV. de usu Part. C. 7. morbida m[a]gis atque imbecillior in omnem ætatem redditur, si qu[o]* viti[o]

vitium vel exiguum in prima conformatione ei obtigerit. Neque connatum vitium tantum, sed tenerior quoque partium constitutio naturalis huc pertinet, utpote quæ labores graviores ferre nequit: hinc ejusmodi valetudinarios videmus tota die, qui propter egestatem ad sustentandum corpus plus moliri coguntur, quam sustinere possunt.

§. IX.

Sunt præterea è rebus sex non naturalibus quædam in culpa v. g. cibus & potus, corporis & retenta, quæ seu non excernenda erant. Cibi ergo, qui flatibus occasionem præbent, huc spectant v. g. legumina, olera, lacticinia, acetaria &c. item quæ crassiorem suppeditant chylum, ac alvum obstruunt, hujus farinæ sunt: fructus Corni, Cynosbati, Cydoniorum, Pyra, Mespila cum arillis deglutita, carnes fumo induratæ & similia. Ad potum nocivum præ omnibus referri meretur cerevisia non defæcata aut ex avena absquse lupulo parata, unde sæpius in Colicam passionem incidisse novimus, quæ aliquando herniam producit, cujus historiam narrat *Barthol. in Observ. Cent. IV. hist. 70.*

§. X.

Omnium maxime nocet Commotio corporis nimia. Sic æquitando, saltando, post Tussim, vomitum enormem, casum, percussionem, gestationem gravioris ponderis ac coitum repleto abdomine celebratum, herniæ superveniunt, *Alsaharavio Lib. Pr. Tr. XXIV. C. I. fol. m. 98. Nuckio in Experim. Chir. p 121, aliisque passim affirmantibus.* Speciatim fœminis tale quid

 accidit

accidit tempore gestationis & in partu difficili, evolvantur *Smetii Miscell. pag. 539.*

§. XI.

Circa excreta & retenta sæpius quædam notantur vitia, inprimis quando fæces justo duriores tanta cum difficultate excernuntur, ut vel distensio vel subitanea peritonæi ruptio subsequatur. Retinentur enim hæ ipsæ interdum per aliquot dies, atque dissipato sero per æstum internum saxo non dissimiles fiunt. Idem accidit præsente Diarrhæa aut quoque Dysenteria, hypercatharsi à sumto veneno vel remedio drastico oborta, ubi conatus egerendi crebriores, etsi frustranei sint, concurrente Tenesmo & robore partium consumpto, nihilo meliorem præstant effectum, quam ipsa fæcum induratio. Hac de re notabilem commemorat Historiam *Platerus in observ.*

§. XII.

Peccant quoque non raro humores ratione qualitatis p. n. nunc enim dominatur acidum in primis viis insigniter acre, quod refrigerato corpore, aut accedente quocunque contrario per modum fermentationis Colicam, tormina ventris atrocissima & flatus producit; Nunc concurrit simul bilis acrior in subjectis ad malum hypochondriacum dispositis, utpote, quæ per æstum circa hypochondria conciliando, alvi obstructionibus occasionem præbet; nunc vel sola sufficit bilis, quando vel Diarrhœa vel Dysenteria Herniis ansam suppeditant. Et hæ potiores causæ sunt, si remotas desideres, nam brevitatis ergo eas, quæ levioris momenti videntur, lubentes

reti-

reticuimus. Ideo neque *Joh. Muys* ſubſcribimus, qui relaxationem peritonæi humoribus ſeroſis tribuit; Sic enim in *Prax. Chirurg. Rat. p. 197.* expreſſe loquitur: *Sed unde provenit, quod in hernia inteſtinum prolabatur in ſcrotum, aliasque partes? Ob relaxationem peritonæi, quæ exoritur ex eo, quod multi ejusdem tubuli obſtruantur, inque illis ſtagnent, ac coacerventur humores, qui progreſſu temporis ſe inſinnant inter fibrillas peritonæi, illudque hoc pacto relaxant.* Sed cur accuſamus humorum affluentium ſtagnationem absque præcedente cauſa obſtruente & impediente eorum tranſitum: & cur modo umbilicum, modo inguina & ſcrotum tantum occupare ſolent inteſtina, cum tamen ejusmodi copia humorum alia quoque in parte abdominis colligi queat? Neque unquam audivimus quieſcente corpore herniam ſuperveniſſe, niſi præceſſerit quædam violentia. Et quandoquidem in aſcite ſerum abundans peritonæi proceſſus adeo diſtendit, ut & inteſtina libere ad ſcrotum delabi posſint; non opus eſt, ut humor ille peccans fibris peritonæi ſeſe inſinuet, illisque quaſi paralyſin inferat; ſufficit, ſi diſtendatur tota ejus compages, quod etiam tunc temporis contingit. Præter hunc vero caſum non admittimus herniam ex humorum ſtagnatione. Denique Vulnus abdomine videre licet per transverſum diſciſſo herniam poſt ſe relinquit plane extraordinariam, ſiquidem huic certus locus asſignari non poteſt, neque huc ejus accuratior conſideratio ſpectat; cum reliquis enim partium carnoſarum læſionibus ex toto convenit.

 §. XIII.

§. XIII.

Nunc ad proximas caufas devenimus, easque duplices ftatuimus, nempe dilatationem proceffus peritonæi aut rupturam ejus. Et quamvis nonnulli rupturam penitus in dubium vocent, quoniam fortasfis talem cafum ipfis nunquam videre licuit, teftes nihilominus oculares habemus Autores fide dignos: hinc *Fabricius Hildanus Centur. VI. obferv. 70. p. 588.* fœminis frequenter contingere afferit, quod pariter viris vehementer corpus commoventibus, metuendum eft. Crebriores autem obfervantur diftenfiones dictæ membranæ, quæ per modum vaginæ vafa fpermatica utrinque cingit. His præfuppofitis quæritur an promifcue omnia hic promineant inteftina, an vero quædam præ aliis in culpa fint? Refpondetur fitum inteftinorum naturalem fi confideremus; neque rectum aut colon neque duodenum & jejunum facile ad fcrotum devenire poteft; commodisfime fitum eft ileon, quod reliqua longitudine fuperat & inferiorem occupat abdominis regionem, adeoque herniam & umbilicalem (ubi & jejunum in culpa effe poteft) & inguinalem & fcrotalem utplurimum gignit. *vid. Gottfr. Mœbii fundam. Medic. Phyfiol. pag 216* Interdum etiam jejunum fimul excidit; interdum appendix ilei feu cœcum; Hi tamen cafus rariores funt, nec nifi in herniis extremæ magnitudinis accidunt.

§. XIV.

Signis ad herniam inteftinalem cognofcendam Medicum vix opus habere putasfem, nifi in mentem

veniffem

venissent quorundam errores non condonandi, quorum mentionem hic injicere non incongruum erit. Sumsit præterito anno civis cujusdam urbis celebrioris, nescio pro qua intentione à Pharmacopæo Vomitorium, cumque illud Medicamentum vel sinistre paratum vel in dosi excedens per superiora & inferiora ægrum adeo purgasset, ut tumorem doloremque graviorem in ingvine ad scrotum usque se extendendentes statim perciperet; Medicum ordinarium consulere coactus est; qui dictum affectum pro tumore testiculi habuit, ideoque cataplasmata sæpius calide imponenda svasit: His tamdiu ob ignorantiam morbi continuarunt, donec alius, sed nimis sero advocatus Medicus, ipsum pariter ac adstantes de hernia intestinali certiores redderet. Erant autem tunc temporis intestina jamjam sphacelo correpta, & mors superveniebat, antequam conveniens remedium aut chirurgia applicari posset. Dissecto cadavere intestina sphacelata in scroto reperiebantur fere ad ulnæ unius longitudinem. Alibi honesta vivit Matrona, quæ adhuc de Chirurgi incauta manu conqueritur. Hic nimirum herniam ingvinalem pro bubone agnoscens, quoniam intestina neque supine jacente ægra recedebant, emollientibus emplastris ac epithematibus diu tractavit, ac tandem, dum sponte non rumpebatur abscessus, scalpello materiæ purulentæ spatium exeundi ostendere tentavit; sed loco puris alimenta semidigesta prodibant, inde arguebat, intestinum esse læsum: O miseros ægros, qui ejusmodi Medicis se concredere necessum habent! Cognoscitur ergo noster affectus

ex tumore modo inæquali, modo rotundo, inter ambulandum maxime conspicuo, & evanescente interdum, si supinus jaceat æger, aut manu prematur leniter; mollior quoque & durior deprehenditur, prout vel calore fovetur, vel frigore vexatur, aut quando minor vel major flatuum copia adest; accrescit & decrescit ratione ciborum ac motus corporis. Murmur quoque observari solet in nonnullis recedentibus versus abdomen vel egredientibus intestinis. Ab initio dolet locus læsus præprimis si ruptura præcesserit; successu temporis absque dolore fertur, nisi fortassis fæcum alvinarum atque flatuum retentio molestiam creet.

§. XV.

Quid igitur sperandum aut metuendum est rebus sic se habentibus? *Omnis hernia* respondet *Sennertus in Prax. Lib. III. Part. 2. Sect. I. Cap. 6. difficulter curatur. Neque enim membrana illa tenuis & nervosa facile unitur, nisi sit ruptura parva, recens & in corpore puerili: alias fere nunquam perfecte curatur.* Quemadmodum autem non semper peritonæi dilaceratio concurrit; ita nec in genere omnis hernia curatu difficilis existit. Limitamus potius ratione circumstantiarum judicium prognosticum, & difficulter curari credimus in senibus, quamvis *Fabricius Hildanus Cent. VI. Obs. 69.* absolute asserat; in hujusmodi subjectis non perfecte curari hernias: nam alibi sexagenarii antea hernia laborantis mentionem facit, qui in totum restitutus fuit. Facilius longe absolvitur cura consistente ætate, infantes enim ac pueri vix abstinent ab ejulatu, voci-

fera-

ſeratione, aliisque commotionibus maxime nocivis. Hic tamen nunquam deſperare debemus, ſiquidem legitima medicamentorum applicatio omnem tollit difficultatem. Nihilominus quædam earum ſpecies periculoſæ ſunt, ſi diu duraverint, ob pasſionis iliacæ & ſphaceli metum, cujus exempla referunt *Joh. Muys in Prax. Chir. Ration. pag. 195. Dolæus in Encyclop. Chir. rat. Lib. III. Cap. 2. pag. 694. & Ammannus in Medic. Crit. pag. 162.* quorum prodromi ſunt durities tumoris cum inflammatione & dolore, & ſtercoris rejectio per vomitum: Imo mors ipſa non raro ſupervenit, niſi cito accurratur: Sic judicat *Tulpius Obſ. Medic. Lib. III. Cap. 13. Nihil herniæ inteſtinali pernicioſius eſt, quam ſtercus per os reddi. Arguit quippe hæc regurgitatio, manifeſtam motus periſtaltici offenſam. In quo cum conſiſtat verum inteſtinorum ſtabilimentum, mirum non eſt, ſi eo labefactato, peſſum eat homo.* Lethalis quoque enteroceles meminit *Foreſtus Lib. 27. Obſ. 16. pag. 605.*

§. XVI.

Curam hujus Affectus ſi ſpectemus, neceſſum eſt, ut ſeparemus illegitimam à legitima; Promiſimus quidem in præcedentibus tantum herniarum inteſtinalium Curam legitimam; ſed quo appareat, quæ nobis illegitima dicatur, non præmittendam eſſe cenſuimus. Pertinet namque ad illam Sectio & huic conjuncta caſtratio, uſtulatio & cura ſympathetica. Ad hanc referimus media, quæ deſumuntur è fonte chirurgico, pharmacevtico & diætetico. De ſingulis ſeorſim in ſequentibus agemus.

§. XVII.

Venit autem nobis ſub nomine Curæ illegitimæ

omnis

omnis medendi methodus, quæ fere nunquam abs-
que ægri summo vitæ periculo aut nefanda quadam
superstitione absolvitur. Nominamus primo Sectio-
nem, quæ duplicis generis est, vel sine vel cum testi-
culi extirpatione accurate tradit modum proceden-
di *Malachias Geigerus in Kelegraph. Cap 9. pag. 90. & seq.*
Utramque plane non suademus, neque pueris, neque
adolescentibus, neque ætate provectis; non tam
propter dolorem & hinc oriundos motus convulsi-
vos lethales quoque, quam partium exquisitissimo
sensu præditarum metuendam inflammationem ac
subsequentem sphacelum & gangrænam; non dicam
ob metum mortis, quæ utplurimum operationi fi-
nem facit, cujus mihi quoque innumeri in mentem
veniunt tristissimi casus. Si enim intestina cum par-
tibus jam inflammata sunt, accedente vulnere ma-
jor conciliabitur æstus, imo sphacelantur citius par-
tes, quam si leniter tractentur. Si vero nullus do-
lor, nulla durities aut inflammatio urget, superva-
canea erit sectio. Idem de Puncto aureo judicium
esto, cujus enchiresin tradit *Paræus Lib. 7. Cap. 16. item*
Nuckius in Exper. Chir. p. 126. periculi inprimis à liga-
tura Cremasteris cum vasis fortiter injecta dependen-
dentis metum. Multo minus probamus Puncturas
quas supra citatus *Geigerus Cap. 10.* præter aureum
punctum prolixe describit, cum facili negotio tendo
aut nervus, aut vas sangviferum aliquod acu læd
possit, unde gravissima symptomata præter mortem
omnino timenda sunt.

§. XVIII.

Eandem meretur censuram curandi modus pe
caust

caustica nunc actualia ad mentem Veterum, nunc potentialia sicut Recentioribus placet. Nec mirum est, si crudelitatis crimen in Medicos cadat, quando pro more carnificum non nisi urendo & secando juvare possunt jam satis afflictos ægros: Ut taceam dubium & plerumque periculosissimum eventum illos, qui hactenus effugerunt crudeles manus deterrere eoque perducere, ut ex duobus malis minus eligere consultius putent, & ad dies vitæ herniam servare malint, quam morti apertis quasi oculis obviam ire. Non opus est his diebus, cum ad summum perfectionis fastigium pervenerit Ars Nostra, ut *Hippocratis* dicto fidem habeamus, illudq; legis instar sancte excolamus, quando dixit: *Morbum, quem non curat Diæta & Medicina, illum ferrum aut △ curat.*

§. XIX. Curam sympatheticam eodem modo proscribimus, & indignam censemus Medico rationali ac prudentiore. Superstitio enim, quæ omnem implet paginam nulloque pacto ab illa separari potest, potius ad anum & plebem, quam virum honestum pertinet. Multo minus media supranaturalia per characteres & incantationes impetranda locum inveniunt, si quis saltim nomen Christiani sibi vendicare velit. Lubet unam alteramve speciem harum curationum jam allegare, unde quivis sanioris mentis ineptias, quibus innituntur, statim cognoscet. Suadent vulgo, ægrum herniosum tribus veneris diebus ante solis ortum, ut quoque post occasum ceraso bifidæ & disruptæ immittendum arboremque postmodum vinculo conveniente firmandam & ligandam esse, quo iterum coalescat, sicque sua sponte evanescere credunt herniam. Alii cum hordei grano & ægri urina alio modo ludunt. Præ cæteris deridendi sunt ii, qui curæ per Magnetem & Ferrum absolvendæ nimium confidunt. Intus nimirum sumere debet æger magnetis pulverem: exterius vero ferri limaturam ope ungventi seu emplastri cum cura applicant, existimantes, magnetem integrum ac solidum extra corpus trahere ferrum, pulverisatum cum vehiculo dilutum atque in stomacho aut intestinis dispersum cum ferro simul carnes ad se rapere: nesciunt fortassis, integrum magnetis lapidem à leviori causa facile vim attractoriam amittere; idque tunc maxime contingere, quando omnino destructa ejus substantia virtusque operandi plane impedita fuerit. Ubi Mens, ubi Judicium! Neque eo me *Albertus Magnus* deducit, ut credam esse quoddam genus Magnetis, quod trahat carnes hominum vid. *Lib. I. de Mineral. Tr. 2. Cap. II.* Neque cum *Porta* sentio, qui *Lib. VII. Cap. 8.* statuit

 non

non ſolum Æthiopico, ſed cuilibet magnetis generi talem com petere virtutem. Plura de hujusmodi ineptiis non adducam.

§. XX. Jam legitima herniarum Cura oſtendenda nobi eſt, & quidem ante omnia illa, quam Chirurgia ſuppeditat Conſiſtit hæc in repoſitione inteſtinorum non cum impe tu, aut una vice facta, ac ſi patens eſſet foramen, fruſtrane quoque erunt conatus; ſed altera eaque blanda manu prehen ditur inteſtinum circa læſionis locum (cavendo, ne vaſa ſper matica & muſculum cremaſterem ſimul arripiamus) & ſic pre mendo leniter retruditur ſucceſſive; altera abdomen quaſi redu citur & retinetur, convenienter videlicet ægro collocato, clu nibus elevatis & capite declivi. Jubet interim chirurgus, ut ſpi ritum, quantum poſſibile, retineat, & ſi reſpirare neceſſum ha bet, manum imponit loco læſo, ne iterum relabantur inteſtina Præſupponitur autem ad talem operationem juſta inteſtinorum partiumque affectarum mollities: nam præſente ſpasmo aut du ritie enormi nihil effici poteſt. Quæ omnia in omphalocele pari ter ac bubonocele & oſcheocele attendi debent, quamvis in priori caſu non adeo difficilis ſit repoſitio.

§. XXI. Cogitemus porro, quomodo retineantur inteſtina debite repoſita. Sufficiunt in junioribus omphalocele laboranti bus faſciæ; in adultis cingulum requiritur ex corio alces aut cer vi paratum; nunc latius, ſi tumor major, nunc anguſtius, ſi minor In ingvinali & ſcrotali hernia ſubligaculis firmioribus ad ægri corpus accommodatis utimur, quæ vel ex corio jam nominato vel ex chalybe tenuiſſimo conſtant, vid. *Brendelii Conſil. 91. pag. 336* reliquæ ex linteamine aut panno compoſitæ nobis non arrident quia facilius relaxantur ſudante corpore, & ſic ſpatium præben exitum molientibus inteſtinis. Quoad figuram & modum paran di variant Autores, & quilibet fingit pro lubitu aliquod, ſi modo ægro commodum fuerit. Plura ſubminiſtrant *Geigerus in Kelegr Cap. VIII. & Scultetus in Armam. Chir. Tab. 39. Fig. 9.*

§. XXII. Emplaſtra non ſine fructu ex pice, reſina & gum matibus compoſita imponuntur, antequam ſubligacula ap plicentur; Pro hac intentione in officinis ſervatur Empl. ad her nias Auguſtanorum; habentur quoque eorum deſcriptiones *in Zodiac. Med. Gall. III. pag. 102. Mynſichti Armam. Med. chym. pag. 518 Marggraffii Mat. Med. pag. 277. le Mort. Pharm. pag. 251.* It. Balſa mica & Adſtringentia ſæpius deſiderantur ac optime proſunt; quemadmodum *Joh. Agricola in Poppium*, ubi de ♀re, *pag. 414.* nar-

rat;

at; Juvenem 18. annorum magna hernia laborantem spatio
4. dierum restitutum fuisse sequenti mixtura alutæ inducenda:
℞. *Balsam.* ♀. [*cujus præpar. vid. ibid. p. 409.*] ℥ij. *ol. Mastich.* ℥j. *Croci*
nartis ℥ß. ▽ *sigill.* ʒiß. ▽ ♁. *dulc.* ℥j *Corall. rubr. ppt. Magnet. ppt.* ãã.
ʒß. *Extract. Consol. maj. Aristoloch. rot.* ãã. ʒiiß. *M.* Huc spectat unguen-
tum nobile *Mynsichti in Armament. p.498.* laudatum; ol. lacertarum,
quod *Zwelferus in Pharmac. Aug. p. 266.* commendat, momordicæ,
Been alb. hyper. lil. alb. &c. Si tumor ob duritiem à flatuum vel fæ-
cum copia repelli nequeat, Linimenta ex carminativis & anody-
nis conveniunt. v. g. recipimus sem. lini, carvi, anethi, fl. chamo-
millæ, sambuci &c. eaque in lacte præsente inflamatione, in vino
præcedente refrigerio, decoquimus & calide adhibemus. Qui ▽ S
cum *Riverio Cent. III. obs. 81.* illinere jubent, nil aliud quam pro-
pulsionem flatuum intendunt; atque tunc efficacior videtur ▽
Antapoplectica similisque aromatisata. Menthæ recentis vires
hoc in passu plane singulares *Magnificus RIVINUS* sæpius opti-
mo cum successu expertus est. Siccata non inconvenienter ad e-
pithemata recipitur. Linum nendum recenter contortum ac
nondum coctione depurgatum germ. roh Garn in lacte coctum
calideque impositum multum profuisse tradit *Joh. Muys in Prax.
Chir. Rat. p. 198* Ad arcendam inflammationem convenit lithar-
gyrium in aceto decoctum & ope linteaminis quadruplicati ca-
lide impositum. Etsi hæc non sufficientem præstent effectum,
ad Balnea ex lacte vel ▽ injectis plantis emollientibus refugere
debemus, quorum effectum hinc inde Autores deprædicant.
Tandem clysteres ex humectantibus & anodynis remediis in fæ-
cum induratione proficui sunt; sed cum eos sæpius per os reddi-
derint ægri summa cum nausea, de quibus variæ apud Autores
prostant observationes; circumstantiæ omnes probe penderen-
tur; ne ex intempestivo illorum usu excitata nausea vomendi
conatus valde periculosi superveniant.

§. XXIII. Quibus adhibitis interna non negligantur. Sunt ita-
que triplicis generis: Absorbentia, Carminativ. & Laxantia. Contra
humorem acidum primas vias occupantem exhibeatur loco o-
mnium Lim. ♂tis, utpote cujus vires in destruendo acido plane
singulares existunt. cor. r. lap. ♋. C.C. & similia lapidosa cum ustis
idem præstant.

§. XXIV. Herniosos plerosq; flatibus vexari, in superioribus di-
ctum est; ideoq; necessum videtur, ut hi propellantur per congrua
pharmaca, quæ apud Medicos Carminativa audiunt. Magnam

illorum

illorum copiam præbet Regnum Vegetabile; e.g. radices ari, enula acori, polygonati, *vid. Theodori* Kräuter-Buch *p. 811.* chamæleonti seu carlinæ juxta *Brendelii Consil. 91.* filicis, galangæ, Zedoariæ, Zingiberis &c. herbas & folia menthæ, herniariæ ex *Consil. Hollerii L. I. cap. 62.* saniculæ, Driæ min. lauri *&c.* flores chamomillæ Romanæ stœchados Arabicæ centaurii min. semina carvi, anethi, fœniculi anisi, baccæ lauri & in universum omnia, quæ sub aromatum titulo in officinis asservantur. Ex his parari possunt pulveres, electuaria, aut quoq; affuso menstruo ♁oso, Essent. ac Tinct. item ☍ per destillationem, prout cuilibet visum fuerit. Siquidem & hoc nomine in usu sunt composita, ♁ Carm. ♁ ⊖. amon. anis. ♁ ⊖ *P. J. Fabri* Elix. ♃. Myns. bals. ♀ anis. tinct. ♀. acr. ☍ ♀. per deliqu. & innumera alia huic intentioni destinata. Omnibus autem his palmam præripit *Magnifici Rivini* Pulvis ad hernias ex jam nominatis simplicibus constans, cujus descriptio sequens est: ℞. *Lim. ♂ puris ʒj. pulv. sem. fœnic. ʒvj. rad. ari ʒiij. ☍. cin. destill. gt. xx.* M. F. Pulv. Ipse hujus remedii usu, non neglectis iis, quæ in antecedentibus diximus & sequens §. tradet, omnes quotquot hernia intestinali laborantes obvenerunt, felicissime restituit.

§. XXV. Urget interdum alvi obstructio Laxantium propinationem; Purgantia vero non conveniunt, multo minus Vomitoria: nam expurgatio blandis medicamentis fieri debet, optime monente *Sculteto in Armament. Chir. P. I. pag. 88.* Pro biliosis igitur commendamus crystallos aut crem. ♀ri singulis diebus post prandium sumendum, ♀rum ♃atum, arcanum 2plic. ⊕ ♀iat decocta ex sebesten, jujubis, ficubus, passulis min. infusum fol. Sennæ, mannam selectam, syr. cichor. rhabar. Tinct. ♂tis aperit Zwelf. & quæ cum succo pomor Porsd. paratur. Iisdem quoque conveniunt ♁ acidi, cum ♀ edulcati, ut ♁ ⊖is, ⊕i dulc. de quibus confer Zod. Med. Gall. Reliquis subjectis svademus rhabarbarum, rad. Bryoniæ, *vid. Zod. Med. Gall. III. pag. 41.* Jalappæ, Mechoac. Aloen. Elix. propriet. -s. a. cum rhabarb. & si quæ similem vim habent leniter stimulandi alvum.

§. XXVI. Denique Diætæ regimen probe observandum est. Abstineant ægri ab alimentis, quæ superius §. 9. recensuimus, Caveant, ne commotione corporis nimia naturam de restituenda sanitate sollicitam turbent, ac impediant, quo minus constringi aut quoque consolidari queant fibræ nunc relaxatæ nunc disruptæ. Vitetur sedentaria vita, & compressio abdominis, ne alvus obstruatur. Hæc sunt L. B. quæ occasione Curæ legitimæ herniæ intestinalis in mentem venerunt; his enim omnibus probe observatis curam & Medico & ægro facilem fore nulli dubitamus: Ut igitur meos qualescunque conatus æqui bonique consulere velis, iterum iterumque rogo & contendo. Summo vero Numini pro concessis hucusque viribus sit Laus & Gloria absque

FINE.